



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans

Kinckius, Matthias

Coloniæ, 1662

De his quæ clarâ voce aut secretò dicenda sunt in Missa,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

DE HIS, QUÆ CLARA VOCE, AVT
secretò dicenda sunt in Missa.

XVI.

1. In Missa privata clara voce dicuntur *Antiphona & Psalmus ad Introitum, Confessio, & quæ sequuntur, excepta Oratione, Aufer à nobis, & Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, & c.* Item *Introitus, Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate, Oratio, vel Orationes, Prophetia, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Evangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres, solum hæc duo verba Prefatio, Nobis quoque peccatoribus, solum hæc tria verba. Item, Per omnia secula seculorum, & c.* cum *Pater noster, Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus, hæc quatuor verba tantum: Communio, Oratio, vel Orationes post communionem, Humiliate capita vestra Deo; Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, vel Requiescant in pace, Benedictio, & Evangelium, In principio, vel aliud Evangelium. Alia omnia dicuntur secretò.*

2. Sacerdos autem maximè curare
debet,

debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt distinctè & appositè proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat: neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui tunc temporis in eadem Ecclesia celebrant, neque tam submissa, ut à circumstantibus audiri non possit, sed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronunciet, ut & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur.

3. *In Missa solenni clara voce à celebrante dicuntur, quando intonatur. Gloria in excelsis, & Credo, Dominus vobiscum, Qremus, ante Orationes, & ante Offertorium, Præfatio, Pater noster, Pax Domini, & Orationes post Communionem.*

Alia quæ in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solenni à celebrante dicuntur submissa voce.